



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Assertio Omnium Articvlorvm M. Lvtheri, Per Bvllam Leonis X. Novissimam Damnatorvm**

**Luther, Martin**

**[Basel], 1521**

**VD16 L 3876**

Tertivsdecimvs. In sacramento poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa, Episcopus, quam infimus sacerdos, immo ubi no[n] est sacerdos, aequ[e] ta[n]tu[m] quilibet Christianus, etia[m]si ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33308**

MAR. LVTHERI ASSERTIO.

TERTIVS DECIMVS.

In sacramento poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa, Episcopus, quam infimus sacerdos, immo ubi non est sacerdos, aequae tantum quilibet Christianus, etiam si mulier aut puer esset.

Cum ex praedictis pateat, quod non potestas ministri, sed fides poenitentis remissionem peccatorum operetur, uelim doceri ab istis Bullensibus, quomodo plus Papa faciat quam quilibet sacerdos, cum fidem ipse aequae non praestare possit ac quilibet sacerdos, nec alio uerbo absoluat, quam illo: Quodcumque solueris &c. quo omnis sacerdos absoluit. Si ergo idem uerbum, eadem fides utrobique, quae est differentia illorum. At casus reservati hic Papae plus tribuunt. At illi hominum statutis inuenti, non Euangelico mandato positi sunt, nec ad remissionem culpae, sed ad remissionem poenitentiae tantum ualent, ut patet: Poenitens enim ac credens iustus est, licet nondum satisfecerit reservatori casuum, hoc est, tyranno uiolento conscientiarum, qui reservandi nullum ius unquam habuit.

Respondeant autem, an Papa aliud sacramentum poenitentiae habeat quam tota Ecclesia. Si idem est ubique sacramentum, & idem ab omnibus suscipitur & datur, quid praeteris amplius facit in eo Papa. An forte & aliud baptismus. & aliam missam habet quam omnes alij Christiani. Si ergo una fides, unum baptismus, unus panis, unus calix, unus dominus in tota Ecclesia, cur non una poenitentia, una remissio peccatorum. An hoc solum sacramentum diuersum, & monstruosa diuersitate aliud & aliud pro locorum & personarum diuersitate habetur. Valeant impii istae draconis antiqui uoces.

Quod autem absente sacerdote, etiam puer aut mulier, & quilibet

*Nota tamen ista  
quod quidam res  
sumpta sunt in  
ra quae dicitur  
de hinc in ista*

Casus referuati Papae.

Idem sacramentum nobis & Papae.

*probatio*

Idem sacerdos

## ARTICVLORVM DAMNATORVM

& quislibet Christianus absolvere potest Mat. xvij. clare patet, ubi Christus oibus Christianis, dicit: Quodcumq; solueritis super terram solutum erit in coelis. Hanc inuictam autoritatem non mihi subuertent. Qui enim baptizatus est, spiritum Christi habet, ubi autē spiritus Christi, ibi omnium potestas & libertas.

### QVARTVS DECIVS

Nullus debet sacerdoti responderē se esse contritum, nec sacerdos requirere.

Hoc ideo dixi, quia in iudicio dei hæc res cōsistit. Dicit enim Paulus, j. Cor. iij. Nihil mihi cōsciū sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et. x. Non qui seipsum commendat ille probatus est. Et supra dictum est: Delicta quis intelligit? Si ergo deberet homo respōdere se esse cōtritum, cogere ad hoc impossibile, ut delicta sua intelligeret, & seipsum iustificaret ac probaret. Nūc autem in misericordia dei situm est, quæ contritionē propter fidem acceptat, ignoscens ubi non satisfuerit. Sic enim fides faciat, ut contritio, quæ de se nulla est satis, nec cōtritio quidem, pro cōtritioe reputetur. Non enim cōtritio, sed fides reputatur ad iusticiam, Ro. iij. At isti seductores data opera uolunt nos super nostrū opus ædificare, & ad mēdaciū cogere. Cum enim nemo sua peccata agnoscat, quomodo potest sese uere contritum asserere? Immo cum in primo articulo dictum sit, omnes sanctos adhuc in carne peccare & peccato seruire, tutius fuerit cum Dauid dicere: Non intres in iudiciū cum seruo tuo domine, & confiteri se nō esse digne contritum ac pro hoc ipso gemere, quod resistente sibi lege peccati in membris, cōteri digne nō possit, ut ad misericordiæ promissionem per fidē confugiat & hac ip̄a fide impetret, quod contritione impetrare nō potest.

*Conteri digne non possumus.*

*Fidem sacerdos exigat.*

Igitur fidem potius exigat sacerdos, & hanc asserat penitens